



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Selevciense Conciliabvlvm, In quo a Semiarianis Acaciani damnantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

ANNO  
CHRISTE  
359.

stum Dei Filium, Deum Patrem omnipotentem orant: Subueni eis, qui iudicio tuo deuoti offerunt omnes, qui nesciunt colere nisi Deum Patrem, per Dominum nostrum Iesum Christum gloriae eius Filium. Et praecipe, domine imperator, ad nostras nos plebes remeare, datis literis \* ad hunc praefectum praetorii Taurum, quia & nos in praedicatione nominis Dei orientalibus, & tuae dispositioni plenum reddimus obsequium \* inhare in qua semper tenuimus, iam ad nostras plebes redire debemus. De hac autem re ad archiepiscopos nostros orientales literas dedimus, ut sciant hoc semper tenuisse, & in fide catholica cum ipsis permanere. Domini pietas gloriosissimum te semper & ubique per omnia faciat vindicem, Domine piissime imperator.

SELEVCIENTSE CONCILIABVLVM,

*In quo a Semiarianis Acaciani damnantur.*

NOTA.

<sup>a</sup> *Seleuciese Conciliabulum.* ] Seleucia, quae est vrbs Isauriae, alias Aspera nominata, & in oriente sita, celebrata est Synodus, eodem tempore, quo Arimini in occidente. In qua circiter centum sexaginta episcopi conuenerunt, partim Acaciani, id est, Aetianorum consortes, Christum omnis cum Patre substantiae expertem impie tradentes: partim Semiariani, diuinæ cum Patre substantiae suo quodam sensu assertores. Ad eandem etiam sanctus Hilarius Pictauiensis episcopus, iam quartum annum agens in exilio in Phrygia, diuino plane consilio euocatus fuit. Missi sunt ab imperatore duo Comites, qui Synodo interessent. Antequam in confessum iretur, Hilarii fides (quem sicut omnes alios consubstantialitatis assertores catholicos, Sabellianum nominauerant) explorata fuit. Deinde quatuor dierum sessionibus quatuor, Semiariani formulam fidei in encæniis Antiochiæ constitutam, retinendam esse ac subscribendam definierunt: Acaciani vero contra eam vrgebant, a qua voces, *substantiae ac consubstantialitatis*, tamquam a Scripturis alienae abessent. Qua ratione cum praedicto tempore de fide contendissent, tandem a Semiarianis Acaciani vel Ariani condemnati fuerunt. Absentibus a Synodo excommunicatis, reliquos omnes Arianos sedibus suis abdicarunt. Damnati ad imperatorē Constantinopolim reuersum appellarunt, nouamque Synodum ibidē congregari pro voto impetrarūt. De qua vide notas sequentis Conciliabuli. Hæc ex Socrat. lib. 2.

Causa & tempus Conciliabuli.

Numerus episcoporum.

Acta Conciliabuli.

*Concil. Tom. 3.*

Cc

cap. 31. & 32. Athanasio de Synodis, Scuero lib. 1. Baron. anno 359. ANNO  
num. 61. & seqq. CHRISTI  
359.

CONSTANTINOPOLITANVM  
CONCILIABVLVM,

*In quo noua fidei formula promulgata, Semiariani ab Acacianis  
& Arianis condemnantur.*

NOTA.

Locus &  
tempus Cō-  
ciliabuli.

Numerus  
episcopo-  
rum.  
Semiariani  
hæreseos  
sue acto-  
rem Aetiū  
& Arianos  
damnant.

<sup>a</sup> *Constantinopolitanum Conciliabulum.*] Hæc pseudosynodus ce-  
lebrata est Constantinopoli præsentē Constantio, eo tempore, quo  
episcopi Arimini congregati, illic adhuc licet inuiti detinebantur:  
noua enim illa fidei professio Constantinopoli scripta, teste Athana-  
sio de Synodis, missa est ad eos, qui Arimini conuenerant, vt eidem  
omnes vel subscriberent, vel in exilium relegarentur. Conuocati  
sunt ex proxima tantum prouincia, vt tradit Socrates lib. 2. cap. 33.  
episcopi Bithyniæ, numero quinquaginta. Nouam eamque nonam  
a Nicæno Concilio fidei professionem ediderunt; in qua non modo  
vox substantiæ, sed etiam hypostasis vel subsistentiæ impie abolita  
fuit. Quam cum Semiariani detestarentur, mutua illis gratia vicif-  
sim reddita, eisdem condemnarunt, sedibusque priuatos in exi-  
lium ablegarunt. Vt viderentur catholici, suæ hæreseos auctorem  
Aetium condemnarunt, vt scilicet, Deo id ita volente, suo ipsius  
iudicio condemnati, excusationis prætextum nullum haberent.  
Quod Siluanus & Eleusius Semiariani vocis consubstantialis ini-  
mici, eo tempore quo Acaciana impietas inualecebat, defensores  
facti fuerint, eamque teste Theodoret. lib. 2. cap. 27. ad sui relega-  
tionem vsque contra Arianos propugnauerint, prope miraculum  
esse arbitramur. Tanta enim est veritas orthodoxæ fidei, vt quando-  
que inimici nostri iudices sint æquissimi. Interea dum hæc ageren-  
tur, Arimino alia fidei formula Constantinopolim affertur, cui  
omnes episcopi etiam orientales Seleuciensis Synodi iussu Constan-  
tini subscripserunt, adeo vt iidem episcopi eodem prope tempore du-  
plici fidei diuersæ, Constantinopolitanæ & Ariminensi, subscripse-  
rint. Harum alteram in oriente, alteram in occidente imperator ob-  
seruari voluit. Hæc latius apud Socratem, Sozom. Theod. & Baron.  
anno 359. num. 79. & seqq.